Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2073
Quelle:
Copyright:

Hib. p. 377. et *Ossingeri Bibl. August.* p. 426.

VII. *fol.* 295. *Collationes* variae sive *Quaestiones Magistrales* ex Libris Sententiarum tempore *Nicolai de Dünkelspühl* et *Michaelis Suchenschatz*, quorum nomina interveniunt, id est, sub initium Sec. XV. in Academia nostrate ventilatae, quarum initium est: *Caput tuum ut Carmelus can. 7. reuerendi patres domini et magistri dilectissimi* &c.

VIII. *fol.* 360. Anonymi *Sermo* ad Academicos *de S. Johanne Evangelista* in illud *Eccl.* 15. *In medio ecclesiae aperuit os ejus.* Initium: *Originaliter et transsumptive in officio hodierno, Reuerendi &c. secundum iohannem crisostomum augustinum et gregorium* &c.

DXLVII.

117 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per 2. Columnas calamo currente exaratus continet *Richardi Radulphi fil.* (Fitz-Ralph s. Rauf) *Hiberni Dundalkensis* ex Academiae *Oxon.* Commissario, Archidiacono *Cestrensi* et Decano *Litchfeldensis* Ecclesiae Archiepiscopi *Armachani* ac Patriae Primatis *Avenione* ad Curiam Romanam, quo a Fratribus Mendicantibus citatus fuerat, 1360. defuncti *Libros VII. de Paupertate Salvatoris* seu *de Mendicitate Fratrum*, ut alii Codices in *Anglia* praeferunt, qui etiam Librum *octavum*, quin et *nonum* memorant, non tamen *Libellos 16.* ut per errorem typi in *Th. Tanneri Biblioth. Brit. et Hib.* p. 284. irrepsisse videtur. Praeit nuncupatoria Epistola hoc initio: *Sanctissimo in christo patri ac domino, domino nostro Innocentio VI. diuina prouidentia sacrosancte romane ac vniuersalis ecclesie summo pontifici, sue sanctitatis humilis creatura Ricardus archiepiscopus ardmachanus primas Hybernie, pedum oscula beatorum. Dudum fel. rec. dominus clemens papa VI. sui regiminis Anno octauo (1349) venerabilibus duobus in Theologia doctis doctoribus ac mihi pusillo negocium quoddam inter duos precipuos mendicantium ordines, cum omni possibili diligentia annis plurimis laceratum* &c. Sequitur Conspectus Operis διαλογικως inter *Joannem* et *Ricardum* conscripti, quem, cum inditum sit, hic repraesentamus. *Primus liber habens XXXIIII capitula tractat de diuino atque angelico dominio ac possessione rerum et usu ipsarum ab eis. Secundus liber tractat de humano originali dominio ipsum describens, ac partem descriptionis ipsius declarans. Tercius liber possessionem distinguit multiplicem qualem habuit primus parens noster ostendens descriptionem originalis dominij quo ad eius usum et alias circumstantias declarando. Quartus liber de proprietate et iure utendi ac de positiuo siue ciuili dominio et eius possessione et vsu ac iure vtendi pertractat. Quintus liber de principiis ditantibus deum angelos bo-*